

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4182

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Notre-Dame-de-Bondeville, Notre-Dame de Bondeville (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1257, juin

Lieu d'émission : Saint-Germain-en-Laye

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime et confirme la charte du chevalier Olivier de Rouvres, seigneur de Bondeville, par laquelle il vend à la prieure et aux religieuses de Bondeville 75 acres de terre pour 300 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1199, p. 329.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod litteras Oliveri de Rouvres, militis, domini de Bondevilla, vidimus in hec verba :

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego Oliverus de Rouvres, miles et dominus Bondeville, vendidi et concessi et omnino reliqui priorisse et monialibus de Bondevilla pro trecentis libris turonensium, de quibus satisfecerunt michi pre manibus in peccunia numerata, sexaginta et quindecim acras terre mee, scilicet vasteis et essars, site in Monte Cauvel, sicuti est, cum omni jure et dominio quod ibi habebam vel qualibet racione habere poteram, ad perticam domini regis mensuratas, sicut se extendunt in longum et latum, per metas ibi positas inter nemus meum, ex una parte, et terras earumdem, ex altera, et a via qua itur per retro Sancti Johannis de Cardoneto usque ad terram que vocatur la Fresneie, tenendas et possidendas perpetuo in elemosinam priorisse et monialibus ac earumdem successoribus, bene, pacifice, libere, quiete et absolute ab omnibus consuetudinibus, exactionibus, servitiis et aliis rebus quibuscumque. Licebit eciam de cetero predictis priorisse et monialibus ac earumdem successoribus de predictis sexaginta et quindecim acris terre, sicut superius sunt divise, facere omnem voluntatem suam, totum integre, sicut de suo proprio hereditagio, absque ulla mei vel heredum meorum de cetero reclamacione seu contradictione vel impedimento. Et ego et mei heredes tenemur predictis priorisse et monialibus ac earumdem successoribus predictas sexaginta et quindecim acras terre, prout superius sunt divise, contra omnes gentes garantizare et deffendere, et, si necesse fuerit, valore ad valorem excambiare, ita quod possideant et habeant, ut dictum est, liberas in omnibus et quietas. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, ego predictus Oliverus, miles, presentem cartam predictis priorisse et monialibus feci et tradidi sigilli mei munimine confirmatam. Actum anno Domini M° CC° Lmo. septimo, mense junii. Testibus hiis : domino Roberto presbitero Beate Marie de Campis, Vigero dicto Baril, Petro Fabro de Bondevilla, Ricardo dicto Bachelor, Johanne de Piemont, Regnaudo de Sancto Michaelle, Valtero dicto Preposito de Marrona, et pluribus aliis.

Nos autem predictas vendicionem et concessionem, prout superius continentur, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, necnon et predictam terram eisdem monialibus in manu mortua quiete et libere in perpetuum tenendam et possidendam concedimus, salvo jure in omnibus alieno, et retenta nobis omnimoda justicia in predictis. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentem paginam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Sanctum Germanum in Laya, anno Domini M° CC° quinquagesimo septimo, mense junio.